

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus
gerendum, disposita**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Dominica V. post epiphaniam

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

Id si fecerimus, aliquando in portu vitæ æternæ feliciter appellemus, ubi habebimus societatem cum Patre & Filio, 1. Joh. 1. vers. 3.

Cum Regina Arabiæ Hierosolymam ad Salomonem accederet, & sapientiam ejus audiret, non continere se ultra potuit, quin dixerit: Verus est sermo, quem audiui in terra mea, de rebus tuis, & super sapientia tua. Major est sapientia tua, & bonum, quàm rumor, quem audiui, 1. Reg. 10, 6. seq.

Similiter nos quoque navigatione vitæ hujus feliciter exantlatâ, ubi ad insulas Fortunatas appellemus, quorsum vela dirigimus, plus boni accipiemus, quam in hoc mundo putavimus. Erit enim abundantia gaudiorum cum vultu ejus, & delectationes in dextera ejus, in æternum, Psal. 16. v. ult.

Id quod nobis obtingat per Christum, Amen.

DOMINICA V. POST EPIPHANIAM.

Evangelium Matth. 13. v. 24. - 30.

EXORDIUM.

Cum Isaac in Palæstinâ degeret, sevit in illâ terrâ, & invenit in ipso anno centuplum, quia benedixit ei Dominus. Ob hoc invidentes ei Palæstini, omnes puteos, quos foderant servi patris illius Abraham, illo tempore obstruxerunt, implentes humo, Gen. 26. v. 12. seqq.

Isaac typus Christi fuit:

I. *Ratione seminationis.* Sicut enim Isaac semen suum terrenum juxta Gerar sevit, quæ interpretative est civitas peregrinationis, & benedictionem divinam tempore messis expectavit: Ita & cœlestis ille Isaac, Servator noster JESUS CHRISTUS, semen incorruptibile verbi sui in hoc mun-

do disseminavit, qui vere civitas peregrinationis est, in qua non habemus manentem civitatem, sed futuram inquirimus, Ebr. 13. v. 14. potissimum ubi ipse in diebus carnis suæ pertransiit, benefaciendo & sanando omnes oppressos à Diabolo, Act. 10. v. 38. certissimâ spe fretus, copiosissimam tandem filiorum Dei messem secururam, & semen verbi, quod egressum de ore suo, non reversurum esse vacuum, Esa. 55. v. 11.

2. *Ratione benedictionis.* Sicut enim Dominus Isaac benedixit, ut semen ejus centuplo fructificaret: Sic & semen verbi divini, quod Christus è sinu Patris attulit, & enarravit nobis, Joh. 1. vers. 18. aliud centuplum, aliud sexagecuplum, aliud trigecuplum fructum dedit, Matth.

Exegetis.

Matth. 13. v. 18. Deus enim erat cum illo. Joh. 3. v. 3. ut ita mulci fideles, per verbi semen, quod sparsit, geniti sint, qui deinde vicissim bonum semen facti, sicut pii vocantur, Matth. 13. v. 38. & Rom. 9. v. 29.

3. *Ratione emulationis.* Palæstini videntes, Dominum benedicere Isaac, invidabant illi, obstruentes omnes puteos, ne adquare posset agros suos. Sic infernali Palæstino Diabolo sudes in oculis fuit, semen verbi divini, quod Christus à primordio mundi sparsit, ita crescere: propterea ipsi quoque invidabat, ut non modo fontes obstrueret eidem, quos in diebus carnis, ubi in valle lacrymarum transivit, fecerat, Psal. 84. v. 7. quod fecit non modo obdurando corda hominum, ut Spiritui sancto resisterent, Act. 7. v. 51. sed & zizania falsæ doctrinæ, hypocrisios, scandali & omnis impietatis, spargit *ἀνὰ μισοῦ τῆς οἴκτου*, h. e. inter filios Dei, ne illi crescerent & in fide proficerent: sed potius incrementa zizania caperent, & triticum suffocaretur.

Exemplum nobis Servator noster proponit in prælectâ parabola, ubi antiquus ille hostis inter bonum semen filiorum Dei, zizania sua, h. e. hæreticos, hypocritas & blasphemos disseminavit, qui etiam cum bono semine enati, creverunt, & usque ad finem mundi permixti erunt, ubi tunc demùm triticum à zizaniis separabitur, & hæc igne comburentur, ut prælecta Pericope probat. Videbimus pro instituti ratione.

- I. *Triplicem Querelam.*
- II. *Triplicem Medelam.*
- III. *Triplicem Cautelam.*

J. J.

IN primâ illâ Evangelica promissione, de benedicto semine mulieris, contrituro caput serpentis, inter alia mentio fit inimicitia, quæ inter semen mulieris & serpentem versetur, Gen. 3. v. 15. illa ab initio huc usque duravit, ut nulla conventio Christo ad Belial, 2. Cor. 6. v. 15. sunt enim sibi invicem contrarii, dum Christus colligit, & Satanas dispergit: qui igitur non cum Christo est, contra eum est, Luc. 11. v. 23.

Christi scopus semper ad bonum tendit: Sicut omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est, descendens à Patre luminum, Jac. 1. v. 17. Satanas vero uti ipse *πορεύς* est: ita semper ad malum tendit, & gaudet coram eo mæror, Job. 41. v. 13. Unde etiam Abaddon dicitur, Apoc. 9. v. 11.

Specimen hujus rei habemus in prælecto Evangelio, ubi Spiritus ille malignus, ex inimicitia adversus Christum, ejusque assecclas, bonum semen deperditum it, per zizania, quæ hominibus dormientibus disperfit.

Querela respicit

I. *Hominum securitatem.* Cum enim seminatum esset bonum semen, dormiverunt homines. Somnus hic est securitatis & negligentia, ad quem naturaliter proclives sumus, & nihil aliud est quam somnolentia & torpor in functione & vocatione illa, quâ quisque à Deo creatus est. Talis enim pro dormiente habetur: unde Paulus omnes illos, qui hoc modo somno indulgent, exsuscitat, inquit: Hora est jam nos de somno surgere, Rom. 13. v. 11.

m 3

Ta-

Tales dormientes occurrunt in Choro,
ubi dormiunt

1. *Doctores.* Quando illi officio neglecto assimilantur canibus mutis, non valentibus latrare, jacent & amant somnum, Esa. 56. v. 10. non attendentes sibi, & universo gregi, in quo Spiritus sanctus eos posuit Episcopos, pascere Ecclesiam Dei, quam acquisivit proprio sanguine, Act. 20. v. 28. quin & causantes, ut auditores dormiant, & in pietate languescant, cogitantes: Peccavi, & quid accidit mihi triste? Sir. 5. v. 4. Psal. 94. v. 7. exemplo esto Aaron, Exod. 32. v. 25. Vide Jer. 6. v. 14. Psal. 75. v. 7.

Idem adhuc hodie evenire amat, inveniuntur enim ejusmodi Pastores, qui vitia raro taxant: sed loquuntur placentia, Esa. 30. v. 10. ne idem sibi obtingat, quod Amos, c. 7. v. 12. 13.

Verum Deus æternum ipsis væ annunciat, inquit: Væ, qui consuunt pulvillos, sub utraque axillâ &c. Ezech. 13. v. 18.

2. *Auditores.* Quando negligentius conclusiones & cultum divinum invisunt, aut in ipsâ æde stertunt, & terrenis cogitationibus occupati sunt, unde Paulus eosdem excitat, dicens: Surge, qui dormis, & exsurge à mortuis, & illuminabit te Christus, Eph. 5. v. 14.

In Foro dormit Magistratus, quando blasphemos, scortatores, adulteros, fures, & id genus homines justo supplicio afficere debet. Nec minus somno dediti sunt, quando viduas & orphanos audiri, eosque contra adversarium defendi fas esset. Item, quando inopes contra ditiorum imperum non tuentur.

Sed surgite de somno securitatis & negligentia, Vos Christiani Magistratus! Quærite judicium, subvenite oppresso, judicato pupillo, defendite viduam, Esa. 1. v. 17. audientes parvum ut magnum, ne timeatis à facie viri, Deut. 1. v. 17. quoniam vobis data potestas à Domino est, estisque Ministri Regni illius, & Altissimus aliquando interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur, Sap. 6. v. 4. 5.

In Thoro dormiunt parentes, non contrahentes frontem contra filiorum malitiam, 1. Sam. 3. v. 14.

Liberi dormiunt, noluntque educari in disciplina & admonitione Domini, Eph. 6. v. 4.

Famulicia quoque somno correpta, heris debitam fidelitatem præstare nolunt, Non itaque mirandum est, tantam zizaniorum in orbe messem inveniri. Quia enim homines adeo securi sunt, & in diem stertunt, Satanas liberè zizania sua disseminare potest. Vigilate igitur & orate, quia adversarius vester Diabolus tanquam leo rugiens circumit, quærens quem devoret. Cui resistite fortes in fide, 1. Petr. 5. v. 8. Beatus ille servus, quem cum Dominus venerit, inveniet sic facientem, Matt. 24. v. 46.

II. *Diaboli sedulitatem.* Cum enim dormirent homines, venit inimicus ejus, & supereminavit zizania in medio tritici. *Vigilat hostis, & vos dormietis!* exclamat hinc Augustinus.

Quam negotiosus sit ad agrum Dei zizanii suis perdendum, dicta & exempla Scripturæ sat indicant nobis. Idque à primordio mundi ad nostra hæc tempora facere non cessavit. Circumit enim &

per-

perambulat terram, ut ipse ait Job. 1. v. 7. estque *Episcopus maxime sedulus*, ut Latimerus Episcopus & Martyr Angliæ eum appellat, cui nemo in vigilantia par censeripotest, aliis enim dormientibus ipse vigilat.

Semper proinde vigilemus & oremus, ne intremus in tentationem, Matth. 26. v. 41. Interim hoc solatium restat nobis, quod non dormitet, neque dormiat, qui custodit Israël: sed custodiat introitum & exitum nostrum, Psal. 121. v. 3. 8.

III. *Zizaniorum pravitatem*. Per zizania intelliguntur filii nequam, sicut per bonum semen filii Regni, ut Christus ipse explicat, v. 38. In Græco appellantur, *ὄϊο τῆς πορνείας*, quia juxta desideria patris sui Diaboli faciunt, Joh. 8. v. 44. Veniunt sub hoc nomine, partim hæretici, qui non acquiescunt sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, & ei, quæ secundum pietatem est doctrinæ, 1. Tim. 6. v. 3, partim hypocritæ, habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes, 2. Tim. 3. v. 5. partim quoque scandalosi, qui fascinatione nugacitatis obscurant bona, Sap. 4. v. 12.

Hæc zizania omnis impietatis Diabolus à principio ad hæc usque tempora difeminavit. In primordio creationis Deus bonum semen seruerat, dum primum hominem ad imaginem suam, quæ consistebat in justitia & sanctitate, creaverat, Genes. 1. v. 27. Verùm mox adfuit hic inimicus, & sparsis zizaniis suis, bonum semen corruptit, ut ex Dei imagine, quam homogenebat, tæda peccati imago fieret, dum perverso mandato divino, Evam persuasit,

ut ad arborem vetitam manum extenderit, Gen. 3. v. 4.

Idem fecit post lapsum, quando Cainum ad parricidium stimulavit, Gen. 4. v. 8. cujus & ipsi posterii, tanquam corruptus ager, zizania Diaboli, propagarunt: videntes enim filias hominum, quod essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant, nec Spiritui sancto locum reliquerunt, Gen. 6. v. 2. 3.

Idipsum quoque post diluvium continuavit, ubi juxta bonum Dei semen, quod erat Noah, impium Cham, velut zizania excitavit, Gen. 9. v. 22.

Tempore Lothi zizania adeò invaluerant, ut Sodomitæ, filii nequam, ad bonum semen radicibus extirpandum, sese pararent, Gen. 19. v. 9.

Idem Spiritus ille malignus machinatus est, tempore Eliæ, ubi adeò zizania florebant, ut triticum ferme non appareret, & propterea Eliæ quereretur: Derelictus sum ego solus, & quærent animam meam, ut auferant eam, 1. Reg. 19. v. 10. Et quamvis Dominus parùm feminis reliquit, Rom. 9. v. 29. sicut & Eliæ ætate factum, ubi reliquit sibi in Israel septem millia hominum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal, 1. Reg. 19. v. 18. attamen inimicus ille exivit, factus mendax in ore omnium Prophetatum, ut tempore impii Regis Achab, 1. Reg. 22. v. 2. & ita zizania suaplantat, ut tritico suffocato, pretiosus fiat sermo Dei, ut tempore Samuelis, 1. Sam. 3. vers. 1. & cum Davide querendum: Defecit sanctus, Psalm. 12, vers. 2. seqq. Confer Mich. 7. v. 2. 4.

Neque

Neque minus nocet inimicus ille, bono semini filiorum Dei zizaniis hypocriseos, sicut id Eva cum omnibus posteris, irreparabili suo damno experta est, dum serpens ille antiquus, blandimentis suis illam seduxit, Gen. 3. v. 1. seqq. & sicut hâc in parte in Angelum lucis ille transformavit se: sic & omnes Pseudo-Apostoli & operarii subdoli transfigurant se in Apostolos Christi, & in Ministros justitiæ, 2. Cor. 11. v. 13. seqq. in hypocrisi loquentes mendacium, & cauteriatam habentes conscientiam, 1. Tim. 4. v. 2. Tales tempore Christi erant Pharisei & Scribæ, quos propterea hypocriseos nomine Servator graviter perstringit, Matth. 23. v. 15. Idem fit in Papatu, ubi Clerici rationem habent sapientiæ, in electitiis cultibus & humilitate, Colof. 2. v. 23. quo ipso multos ad se alliciunt, qui deinde circa fidem & salutem naufragium faciunt, 1. Tim. 1. v. 19. Hinc Servator præmonet nos: Cavete à Pseudo-Prophe- tis, Matth. 7. v. 15. 1. Joh. 4. v. 1.

Deinde quoque zizania hypocriseos occurrunt in vitâ communi, quæ hostis ille malignus in omnibus statibus inter semen filiorum Dei disseminavit: Multi enim offerunt se falsi fratres, qui blandiores sunt ore suo, quàm butyrum, & ipsi sunt gladii, Psal. 55. v. 32.

Talis fuit Cain, sub prætextu amicitiae Abelem occidens, Gen. 4. v. 8. nec non Joab, 2. Sam. 3. v. 27. 2. Sam. 20. v. 9. item Judas Proditor Christi, Matth. 26. v. 48.

Quia igitur mundus plenus est zizaniis insidiarum, Sir. 11. v. 31. pii Christiani tempori inserviant oportet, ut sint prudentes sicut serpentes, & simplices sicut colum-

bæ, Matth. 10. v. 16. h. e. ut Siracides idem explicat: multi sint illis pacifici, consiliarius autem unus de mille, c. 6. v. 6. Confer Prov. 26. v. 25.

Spargit quoque Satanas zizania scandalorum, quibus nobile triticum si non penitus supprimitur, tamen ad minimum inficitur.

Ejusmodi scandalum excitavit, per idolatriam Aaronis, cujus occasione triginta tria millia hominum ceciderunt, Exod. 32. v. 23.

Ejusmodi zizania adhuc hodie per varia peccata & flagitia spargit, & Regnum suum amplificat, ut non abs re moneat Apostolus: Attendite vobis &c. Actor. 20. v. 28.

De Secundo.

Sequitur *Medela*, quæ fluit
1. *Ex seminantis humanitate*, qui in prælecto Evangelio vocatur homo, & in explicatione parabolæ hujus, filius hominis: is est Christus ipse, qui ita appellatur, quia est semen mulieris, Gen. 3. v. 15. natus ex Maria virgine. Hic prædicat in præsentem Pericope, ut & in quatuor Evangelistis. Et ante ascensionem suam homines ad ministerium verbi ordinavit. Hoc ipso Altissimus nobis singulare beneficium exhibuit: quod si enim immediatè ipse nobis concionaretur, Majestatem ejus minime ferentes, potius ab ipso fugeremus, quàm ad ipsum appropinquaremus, ut ex promulgatione legis patet, Exod. 20. v. 19.

Et quamvis in verbi ministerio per Angelos nobiscum ageret, nec Angelicam claritatem sustinere possemus. Angeli enim Spiritus sunt, non habentes corpora, sicut

sicut nos homines : unde & metus atque terror oritur , si homo Spiritum talem conspiciat. Vide Judic.6. v.22.23. Tob. 12. v.15.16.

ϕιλανθρωπίαν suam in eo igitur nobis probavit , quod homines nobis præcones constituit , qui confratres nostri sunt , & thesaurum verbi divini in vasibus fictilibus habent , 2. Cor.4. v.7. & ita in Spiritu lenitatis restaurare nos possunt , si præoccupatus fuerit homo in delicto aliquo , Gal.6. v.1. quia enim & ipsi infirmi & peccatis obnoxii sunt , possunt eò melius patientia in Auditores uti : Auditores quoque commodius instructionem eorum suscipiunt , quam si Deus ipse vel Angelus cum illis ageret. Agnoscite igitur hoc beneficium , obediens Præpositis vestris & parentes eis &c. Hebr.13. v.16.17.

Quamdiu Deus per homines & verbi ministerium nobiscum agit , gratiam suam offert nobis : Quando verò homines præmalitiâ , homines verbum annunciantes audire renuunt , Deus alio modo prædicare incipit , sive per horrenda prodigia in cælo , in aere , & in aquis : sive per Cometen , quod peculiare iræ divinæ indicium est , & certissimas pœnas , quin & sæpe exitium temporale & æternum post se trahit.

Celebramus igitur meritò ingentem Dei gratiam , quod nobis ex fratribus nostris Doctores constituit , dicentes : Quid est homo , quod memor es ejus ? & filius hominis quoniam visitas eum , Psal.8. v.5. Quod & Filius ejus ipse homo & hominū præco factus , eò sine humanitatem induit , ne ab ipso metueremus , sed potius per gratiosâ suâ labia nos ad se attraheret.

Diligit Deus populos ! cum stupore exclamat Moles , Deut.33. v.3.

II. Ex seminis bonitate. Christus ipse ait : Bonum semen sunt filii Regni , h. e. pii Christiani , qui hæreditariò accepturi sunt paratum sibi Regnum à constitutione mundi , Matth.25. v.34.

Hi igitur bonum semen sunt , non per naturam , sed per gratiam. Naturâ enim nemo bonus est , nisi unus Deus , Matth.19. v.17. Contrâ verò omne figmentum cogitationum cordis tantummodò malum est omnibus diebus , Gen.6. v.5. c.8. v.21. Peccatum enim originale , quod omnibus innatum est , efficit , ut malum semper nobis , renatis quoque adjaceat , Rom.7. v.20 . ex hoc velut scaturigine derivatur peccatum actuale , quando enim concupiscentia concepit , parit peccatum , Jac.1. v.15. & ita sumus populus , gravi iniquitate , semen nequam , Esa.1. v.4. verum per semen incorruptibile verbi divini , quod est verbum veritatis , genuit nos voluntariè , Jac.1. v.18. ut jam vicissim simus bonum semen , quod gratificavit sibi in dilecto , Eph.1. v.6.

Hoc bonum semen conservabit sibi Deus ad consummationem seculi ,

1. Per regenerationem , quæ fit in baptismo : Quicumque enim in Christum Jesum baptizati sunt , Christum induerunt , Gal.3. v.27. & cum eo fecerunt stipulationem bonæ conscientie , 1. Petr.3. v.21.

2. Per Spiritus sancti mysticam communicationem , quæ pluvie confertur , Psal.68. v.19. per hanc enim pluviam Christiani bonum semen parantur , ut sint arbores justi-

justitiæ, plantatio Domini, ut glorificetur, Esa. 61. v. 3. producunt quoque varios fructus Spiritus quales sunt: charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, fides, mansuetudo, continentia, castitas, Gal. 5. v. 22.

Quemadmodum vero bonum semen fructum non fert, nisi prius emoriatur in terrâ, in quâ sepelitur: sic & vetus homo, in nobis emoriatur necesse est, qui corrumpitur secundum desideria erroris: Deinde renascitur novus homo, qui secundum Deum creatus est, in justitiâ & sanctitate, Eph. 4. v. 22.

Quia verò in mundo hoc imperfecto perfectionem non assequi valet, sed in fine vitæ seminatur in corruptione: tamen surget in incorruptione, 1. Cor. 15. v. 42. & tunc virebit ut palma, & sicut Cedrus Libani crescet, Psal. 92. v. 13.

III. *Ex divinâ longanimitate.* Ubi enim famuli zizania animadvertunt, Dominum suum accedunt, dicentes: Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Unde igitur habet zizania? Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit. Servi autem dixerunt illi: Vis igitur, imus & colligimus ea. Et ait: Non, ne fortè colligentes zizania, eradicetis simul cum eis & triticum.

Hic Christum zizania non eradicari, sed crescere velle audimus, usque ad messem, h. e. usque ad diem ultimum, tunc demum triticum à zizaniis congregandum & in horreum vitæ æternæ perferendum curabit, ubi zizania in inferno igne inextinguibili comburentur.

Interea videant impii, ut bonitate &

longanimitate Dei ad penitentiam adducantur, Rom. 2. v. 4. ex hac ipsâ enim causâ oriri facit Solem suum super bonos & malos: & pluit super justos & injustos, Matt. 5. v. 45. ut omnes ad penitentiam revertantur, 2. Petr. 3. v. 9.

Tali patientia invitavit Deus primum mundum, Genes. 6. v. 3. nec non Ninivitas ad penitentiam, Jon. 3. v. 4. quâ longanimitate nos hodie quoque expectat, est enim clemens, & misericors, patiens, & multæ miserationis, Jon. 4. v. 2.

Hæc consolatio tua esto, mi Christiane! si forsan ex innatâ infirmitate in aliquo delicto præoccupatus es, Gal. 6. v. 1. non propterea statim projiciaris, quia Dominus sustentat manum tuam, Psalm. 37. v. 24.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, quarum

1. *Hostem observa.* Quod fiat sedulâ vigilantia. Cum enim dormirent homines, venit hostes ejus, & seminavit zizania inter triticum. Sicut igitur somnolentia causa est sparforum zizaniorum inter triticum: ita spiritali vigilantia inimico aditus intercludi potest: unde Petrus, vigilate, 1. Petr. 5. v. 8.

DEus tanquam supremus vigiliarum præses, qui neque dormit, neque dormitat, Psal. 121. v. 4. alios vigiles, alios circuitores constituit, ideò quilibet sedulò excubias agat, ut in quâ vocatione vocatus est, in eâ permaneat, 1. Cor. 7. v. 20.

Vigilias agunt Verbi Ministri, qui quando hostem, zizaniis falsæ doctrinæ, hypo-

cri-

criseos & scandali adventare, animadvertunt, quasi tuba vocem exaltare, & populo transgressionem & peccata eorum annuciare tenentur, Esa. 58. v. 1. quod si peccatorem seridè respicientem offendunt, velut amicum dimittant. Sin tales qui corda sua instar Pharaonis obdurant, renuentes accipere disciplinam, Jer. 5. v. 3. peccata eorum tantisper ligent oportet, dum respiciant à Diaboli laqueis, à quo captivi tenentur, ad ipsius voluntatem, 2. Tim. 2. v. 26.

Vigilias quoque agunt Christiani Magistratus, qui & ipsi hosti zizania sua sparsuro in tempore resistere tenentur, ut malum sine personarum respectu eradicetur, non enim sine causa gladium portant, Rom. 13. v. 4.

In communi quoque vita quilibet excubias suas agit, ideoque Diabolo zizania sua disseminaturo in tempore obviet, eumque repellat, juxta illud: Resistite Diabolo, & fugiet à vobis, Jac. 4. v. 7.

Ita Dilecti! hostem observare tenemur, ne ager Dei zizaniis perdat. Qui vero dormit & hostem negligit, ei Dominus miscebit Spiritum soporis, Esa. 29. v. 10. ut dormiat somnum sempiternum, & non confurgat, Jer. 51. v. 39.

II. *Importunitatem vita.* Christus vult zizania crescere usque ad messem, ne simul cum eis triticum eradicetur. Hoc ipso Dominus importuno Discipulorum zelo occursum est, qui ex rigore agere volebant, si paululum zizaniorum animadvertebant, sicut Jacobus & Johannes ignem de cælo descendi petebant ad perdendam civitatem Samaritanorum, quia Christo hospitium denegaverant, Luc. 9. v. 54.

Quo intempestivo zelo & Petrum abreptum, ideoque à Christo objurgatum, legimus, Luc. 22. v. 51. Matth. 26. v. 52. Non igitur hic Christus igne, ferro & vi corporali zizania extirpari vult, ne & triticum fidelium simul eradicetur.

Interea nec Magistratui facinorosos ultimo supplicio afficere prohibitum est, si quidem gladium non sine causa portat, Rom. 13. v. 4. 1. Petr. 2. v. 14.

Nec verbi præconibus officium elenchiticum interdicitur, qui jubentur vocem exaltare ut tuba, Esa. 58. v. 1.

Neque etiam parentibus prohibetur, quò minus liberos castigent, contrarium jubetur, Prov. 22. v. 15.

Sed hinc potissimum Christus loquitur de zizaniis falsæ doctrinæ, quòd vi corporali eradicari non debeat, quia aliàs triticum simul eradicaretur.

Si ingrati Samaritani, ad petitum discipulorum Christi igne cælitus delapso absumti fuissent: Samaria deinde verbum Dei recipere non potuisset, Act. 8. v. 14.

Tum & ad bonum finem Deus zizania tolerat, quod Paulus indicat, ajens: Oportet hæreses inter eas esse, ut qui probati sunt, manifesti fiant in vobis, 1. Corinth. 11. v. 19.

III. *Messē expecta.* Hic meminit Christus messis, quòd dicturus sit messoribus, ut colligerent primum zizania, & alligarent ea in fasciculos, ad comburendum: triticum autem cōgregent in horreum suum.

In hoc mundo zizania non rarè triticum vim vegetativam præripiunt, & fecunditatem ejus impediunt. Hoc est, impii & heterodoxi plerumque felices sunt, & incrementa capiunt, ut David testatur,

Pfal. 144. v. 12. seqq. Verumpii flagellantur totâ die, & castigatio eorum in matutinis Psal. 73. v. 14. quin & impii premunt pios, ne crescant, dicentes: Venite, & disperdamus eos, ne sint gens, Psal. 83. v. 5. hinc dolore afficiuntur pii, ut dicant: Heu mihi, eò quod peregrinus sim cum Mesech, Psal. 120. v. 2. 6. Confer Psal. 55. vers. 7. quod conspicimus ex exemplo Eliæ, 1. Reg. 19. v. 4. & Pauli, Philip. 1. vers. 23.

Verum confidite Dilecti! messis filiorum Dei brevi orietur: tum zizania, h. e. impii Tyranni & persecutores in fasciculum alligati, igne infernali comburentur: ex adverso verò iusti, tanquam nobile triticum in fasciculo viventium collecti, 1. Sam. 25. v. 29. in horreum æternæ gloriæ & lætitiæ assumentur: tunc illi, qui hinc seminarunt in lacrymis, cum exultatione metent, Psal. 126. v. 5. Id quod nobis JEsus largiatur, Amen.

DOMINICA VI. POST EPIPHANIAM.

Evangelium Matth. 17 v. 1. -- 8.

EXORDIUM.

CUm Moses pasceret oves Jethro soceri sui, Sacerdotis Madian: & minasset gregem ad interiora deserti, venit ad montem Dei Horeb, apparuitque ei Angelus Domini, in flammâ ignis de medio rubi, & videbat, quod rubus arderet, & non combureretur, Exod. 3. v. 1. seqq.

Hic rubus procul dubio, præter incarnationem Servatoris nostri, ubi mirabilis utriusque naturæ personalis unio facta est, simul præfiguravit præcellentem transfigurationem Christi in monte Thabor.

Rubus ardens est *Θείον Σπῆν*. Rubus suo modo humanam naturam, ignis verò divinam repræsentat, Deus enim ignis

consumens est, Deut. 4. v. 24. Unio ignis cum rubo est combinatio divinæ & humanæ naturæ. Ignis per totum rubum se diffundens, significat, totam plenitudinem Divinitatis in Christo inhabitare corporaliter, Col. 2. v. 9. Et veluti ignis rubum non consumsit, sed clarificavit: Ita nec Divinitas Christi inhabitans humanitatem læsit, multò minus planè destruxit, sed potius radiis divinæ Majestatis suæ illustravit, ut visâ gloria ejus, gloria quasi unigeniti à Patre, plenus gratiæ & veritatis, Joh. 1. v. 14.

Maximè verò gloriam suam, in transfiguratione, præsentibus quibusdam discipulis demonstravit, quò in fide eosdem confirmaret, ne scandalù ex profundissimâ ejus.